



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

### **Theologia Moralis**

Antehac ex probatis Auctoribus breviter concinnata

**Busenbaum, Hermann**

**Coloniæ Agrippinæ, 1707**

Q. 146. Quibus resignari possint Beneficia.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-42600**

esse derogatum Regulæ, quia non est impleta conditio, *Sarn. Paris.* Gratia autem derogationis Regulæ concessa ab hoc Papa manet sub Papa successore, *Rota, Paris.* Vide *Leur.* q. 349. Denique si quis resignarit apud Papam, & Papa moriatur ante præstitum in Camera magnum consensum, quem postea præstet resignans, attamen moriatur intra 20. dies, tenet resignatio, quia Regulæ Cancel. cessant per mortem Papæ, *Leur.* q. 348. ex *Sarn. & Paris.*, qui putant oppositum esse dicendum, si vivente Papâ datus esset magnus consensus, quia Regula jam antecederet affecisset beneficium.

1008 Q. 146. *Quibus resignari possint beneficia. R.*

§. I. Imprimis non possunt resignari nisi dignis, *Cap. Cum in cunctis*, de Elect. : An autem resignari debeant dignioribus, vide dicta n. 586. Deinde etiam non nisi illis, qui habent qualitates à jure, statuto & fundatione requisitas, nec aliunde tenentur impedimento, uti constat ex hæcenus dictis. Nec juvat, si postmodum superveniat idoneitas, nam tunc requiretur novus consensus resignantis & nova provisio Superioris, *Rota, Gl. Anchar. Paris.* *Leur.* p. 3. q. 350. Vide tamen dicta à n. 1836.

1009 §. II. Beneficia non possunt resignari illis, quibus non possunt conferri, hinc resignari non possunt laicis, uti constat ex dictis à n. 742. Si autem resignatio in favorem laici sit admissa à Papa sub hac clausula, *quamprimum Clericali caractere fuerit insignitus*, quamvis ille prius post mortem resignantis fiat Clericus, valet resignatio, quia resignans nihil ultra facere poterat, sed solus Papa & resignatarius, *Paris.* & alii contra *Gabr.* apud *Leur.* q. 354. Nec resignari possunt criminosis vel infirmis, secundum dicta n. 785. ; Et crimina, quæ privant beneficio, multò magis reddunt incapaces acceptari

acceptandi: quænam autem privent, dictum est à n. 140. Et specialiter secundum AA. apud *Leur.* q. 356. resignari non potest beneficium homicidæ, per-  
 uro, hæretico, hæretici filio, schismatico, sortilego, sacrilego, falsario literarum Apostolicarum, usurario publico, apostatæ, reo læsæ Majestatis, aleatori, notorie infami. Et quamvis Papa sciat aliquem esse talem admittatque resignationem in ejus favorem, per hoc non cenferi dispensare, docent *Abb. Hojed. Rebuff.* & alii cum *Paris.* l. 4. q. 3. à n. 63. Nec resignari potest excommunicato, suspenso, irregulari, secundum dicta à n. 774. Vide etiam *Leur.* q. 357. Nec mente capto, *Paris.* l. 12. q. 4. n. 1. Nec illiterato aut ignorantem linguam loci, in quo est beneficium, si sic curatum, uti dictum est à n. 789. Nec illegitimo, secundum dicta n. 750. Nec bigamo, secundum dicta n. 768. Nec minori 14. annis, *Leur.* q. 362. Vide dicta n. 795. Nec sæculare beneficium resignari potest Clerico regulari vel contrà, secundum dicta n. 225. Nec pater resignare potest filio, ne videatur hereditaria successio, *Laym. Leur.* q. 368.

§. III. Beneficia resignari possunt senibus & infirmis, dummodo maneat apti satisfacere officio, *Paris.* Item majoribus 14. annis etiam sine consensu curatoris, *Burratt. Paris.* Item in favorem Capituli, Conventus, habentis dignitatem, Superioris. Vide *Leur.* q. 362.

1010

§. IV. *Pius V.* in Const., *Quanta Ecclesia Dei*, sic statuit, *Præcipimus, ne Episcopi aut alii Collatores de beneficiis & officiis resignandis, aut suis aut dimittentium consanguineis, affinibus vel familiaribus, etiam per fallacem circuitum multiplicatarum in extraneos collationum audeant providere: quòd si secus ac etiam quidquid aut contra formam prædictorum fuerit à quocumque temerè attempta-*

1011

tenta-

ventatum, id totum ex nunc vires & effectum decernimus non habere: qui verò contra fecerint, ut in eo, in quo deliquerint, puniantur, à beneficiorum & officiorum collatione, necnon electione, præsentatione, confirmatione & institutione, prout cuique competierit, tamdiu suspensi remaneant, donec remissionem à Romano Pontifice meruerint obtinere; & qui talia beneficia seu officia receperint, eos prædictis pœnis volumus subiacere. Quòd si aliquis ita contulerit ideoque sit suspensus, ac nihilominus pergat iterum simile quid attentare, incidit in excommunicationem ipso facto, vel si sit Conventus, in suspensionem à divinis, à quibus absolvi non possint nisi à Papa.

1012

§. V. Circa Constit. illam Pianam quædam notanda sunt: 1. Per Episcopos non intelliguntur Cardinales, quamvis sint Episcopi, cùm hæc Constit. sit odiosa, *Az.* 2. Per familiares intelliguntur, qui actu deserviunt Episcopo aut Collatoribus, & continuam exercent commensalitatem in eorum domo, *Parif. Tond. Leur.* p. 2. q. 676. 3. Cùm dicat, *ne Episcopi aut alii Collatores*, putat *Luca* de beneficiis d. 65. n. 16. probabile esse, quòd non comprehendat Canonicum turnarium, qui nomine Capituli confert, cùm Capitulum non habeat consanguineos aut affines. 4. Constit. illa non habet locum in beneficiis juris patronatus, uti declaravit *Greg. XIII.* apud *Corr.* l. 5. c. 1. n. 50., & *S. Congreg.* apud *Quarant.* in sum. bullar. v. *beneficiorum resignatio*: quod quamvis *Rice.* restringat ad jus patr. laicale, tamen *Quarant. Garc. Tond. Sanch.* in Conf. l. 2. c. 3. d. 36. n. 24. *Leur.* q. 676. & alii loquuntur sine distinctione, & ratio est eadem de omnibus, nam *Pius* tantùm loquitur de Episcopis & Collatoribus ut talibus, quando nempe ex seipsis beneficia conferunt.

5. Si

Si quis etiam ignorans contraveniat huic Constit.,  
 potant aliqui cum *Corr.* supra incidere in dictas pœ-  
 nas, sed non video, quomodo ignorans pœnam in-  
 currat, ut l. I. à n. 767. dictum est: provisio tamen  
 manet invalida. 6. Episcopus non potest ejusmodi  
 consanguineos vel affines vel familiares admittere ad  
 concursum pro parochiali in manus suas resignata,  
 ut dictum est n. 618. 7. Episcopus potest beneficium  
 in manus suas resignatum conferre consanguineo,  
 affini vel familiari sui Vicarii Generalis: Item Vica-  
 rius suo consanguineo, affini vel familiari, quod  
 enim ipse facit, censetur facere Episcopus: unde Vi-  
 carius non potest conferre consanguineo, affini, fa-  
 miliari Episcopi, quia sic censeretur Episcopus con-  
 ferre suo, *Corr.* supra & alii. 8. Conferri possunt  
 consanguineis &c., si vacent aliter, quàm per resi-  
 gnationem, quia *Pius* tantùm loquitur de vacanti-  
 bus per resignationem, *Ricc. Tond. Leur.* supra.  
 Vide eundem p. 3. q. 370. Quoad permutationem  
 dicemus n. 1103.

§. VI. Hæc Constit. usu recepta est in diœcesi 1013  
 Colonienfi, Leodiensi & Monasteriensi in Westpha-  
 lia: debuitque ab initio esse ubique recepta & obli-  
 gare post acceptam illius notitiam, ut in fine habe-  
 tur: contra illam tamen supplicavit Hispania, uti  
 referunt *Diana* p. 5. t. 14. R. 26. & *Castrop.* t. 13. d.  
 6. p. 2. §. 1. n. 7.

Q. 147. An resignanti sit licitum interponere 1014  
 preces apud ordinarium collatorem, ut beneficium  
 resignatum conferat huic vel illi. R. Esse licitum,  
 non tantùm post resignationem, uti limitant aliqui  
 cum *Nicol.* t. I. d. 9. §. 5., sed etiam ante, vel dum  
 ea fit, dummodo absit omne, etiam tacitum pactum,  
*S. Anton. Suar. Regin. Felin. Rebuff. Garc. Az.*  
*Paris. Fill. Tond. Barb. Castrop. Sanchez.* in Cons. l.